



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118847**

§. 85. Budissa ab Electore Saxonico obsessam captaque.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

Sæc: XVII.  
A. C. 1620.

§. LXXXV.

*Budissa ab Electore Saxonico obfesa, captaque.*

Cum ergo ad Cæsaris obsequium jam tertio, incassum tamen, admoniti essent Budissiani, proin de pace tractanda desperatum esset, die octava eiusdem Mensis obsidioni datum est initium; mænia bellicis quatiuntur tormentis, necnon cruenti & aliquoties iterati fiunt assultus, quos tamen occursum validiore retuderunt Lusatii, novo mille ducentorum militum subsidio aucti, inde vero Saxo-Cæsarei ad novos instaurandæ oppugnationis conatus animati, urbem assidue, præcipueque turrim, ut vocabant, aquariam verberare, globisque ignitis seorsim, ac per intervalla injectis testa, turresque nudare, incendere, pessum dare, late sparsis incendiis: nihilo remissius Budissiani cominus, eminusque ferire, interdum & tota vi erumpere, non sine multiplici Saxonum cæde, & jactura; obfessi enim die duodecima Septembris ex urbe inopinato erumpentes non modo pecora, & obvia quæque, sed & tria belli tormenta Saxonibus abripuerunt: vicissim vero Saxo-Cæsarei a Friderico Altenburgico Duce, qui obsidioni præerat

Sæc. XVII. erat, excitati oppugnationem urbis a-  
A.C. 1620. criore, quam antea contentione refu-  
munt, ac grandinante assidua globo-  
rum procella, iteratoque murorum as-  
fultu, ac munimentorum quassatione,  
& præsidiarii militis, civiumque strage  
Budessianos eo redigunt, ut desertis  
stationibus plerique ex munitionibus in  
urbem pavidi refugerent, qua re anim-  
adversa Saxo-Cæfarei capiendæ urbis  
spe pellesti, scalas applicant, muros-  
que pluribus in locis certatim conscen-  
dunt, infausto tamen prorsus successu;  
quippe Budissiani præsidii Præfectus  
maximarum arborum truncos ad hunc  
usum jam antea comportatos in Saxon-  
es murum jam subeuntes, & mox  
ascensuros provolvi, eosque inevitabili  
strage conquassari jussit, victoriæ trium-  
phum jamjam canentibus Cæfaris ho-  
stibus, & præcipue Bohemis Saxon-  
i sectæ oppugnationem acriter exprobran-  
tibus Ministellis, quorum impulsu Fri-  
dericus Palatinus edicto publico Pragæ  
vulgato die decima octava Septembris  
Electorem Saxonum propter oppugna-  
tionem Budessianam Voygtlandiæ Prin-  
cipatu, ceterisque clientelis annexis  
omnibus dejecit. Hæc tamen vindicta  
minime fregit magnanimum Electoris  
animum, qui profligatis Budessianis  
prædatum excurrentibus, per Schæn-  
talium

talium Legatum suum ad deditionem Sæc. XVII.  
 obseffos hortabatur, his autem eun- A.C. 1620.  
 dem Oratorem captum retinentibus,  
 Elector toto armorum impetu, nec re-  
 spirandi spatio indulto refractarios con-  
 tinuis incurſibus, & jaculationibus in-  
 festabat, ac præclusa annonæ impor-  
 tandæ facultate, imo ipsa etiam aqua  
 præcisa, interceptisque, qui bellico ap-  
 paratu, vitæque subsidiis onusti erant,  
 curribus, undique uno tempore omni-  
 bus e balistis urbem quatere, & nun-  
 quam interruptis in mænia globorum,  
 inque tecta & domicilia flamarum ja-  
 culationibus oppidanos tanto impetu  
 urgere cœpit, ut urbis permagna pars  
 continentí incendio in prunas & cine-  
 res subsideret, mænia in ruinam con-  
 siderent, & propugnaculum Gorlitianum  
 & suburbium, unacum hostili aggere  
 sub idem ferme momentum occupa-  
 retur.

### §. LXXXVI.

#### *Deditionis pactæ.*

Tum vero contumeliosa subsanantium  
 tripudia in tragicos mulierum &  
 imbellis ætatis ploratus conversa fuere :  
 Audiebantur lamenta civium alta voce  
 clamantium, ut Electori portæ pande-  
 rentur etiam invitis præfidiariis; Civi-  
 tatis